



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

7. In Supremo &c. Generalis & Vicarii Generalis Ordinis S. Augustini in
Provincia Quitensi Constitutiones & Decreta pro pace ejusdem Provinciæ
conservandæ, confirmantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

VII.

Generalis & Vicarii Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in Provinciâ Quitenſi Conſtitutiones & Decreta pro pace ejuſdem Provinciæ conſervanda, confirmantur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

IN Supremo militantis Eccleſiæ folio per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio conſtituti, ea quæ à Religioſorum Ordinum Superioribus pro ſalubri eorum, qui Altiffimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipati ſunt, directo ac felici gubernio, paceque religioſâ, ac fraternâ animorum concordia inter eos ſtabiliendâ & ſolidandâ, providè prudenterque conſtituta ſunt, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtoli noſtri muniminis præſidio, cum id à nobis petitur, libenter roboramus.

Indican-
tur Decre-
torum au-
tores.

S. I. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit Dilectus Filius Franciſcus Montano Frater expreſſè Profellus, ac Procurator Provinciæ Quitenſis in Indiis Occidentalibus, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini in Sacra Theologia Magiſter, quòd cum Ven. Fr. Nicolaus Olina Epiſcopus Cortonen. aliàs dùm in minoribus conſtitutus, Generalatus dicti Ordinis munere fungebatur, litibus & diſſidiis, quibus Provincia prædicta vexabatur, finem imponere, illiſque anſam in futurum præcidere cupiens, cauſis & inſtrumentis, quæ eadem Provincia ad ipſum remiſerat, ſedulo examinatis, nec non dicto Franciſco Provinciæ prædictæ Procurore, ac dilectis pariter filiis Auguſtino de Montedoca, & Joſepho della Concha ejuſdem Ordinis Profeſſoribus, in Sacra Theologia etiam Magiſtris in iudicium contradicitorium non ſemel vocatis, ſepiusque etiam privatim auditis, de prudenti conſilio Aſſiſtentium Ordinis prædicti, pro antedictæ Provinciæ Quitenſis reformatione, & bono regimine nonnulla Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes die 20. Octobris 1677. condidiſſet, illaque ſub interminatione Divini iudicii, & ſub quibuſdam penis per tranſgreſſores incurrendis inviolabiliter obſervari præcepiſſet; Dilectus etiam Filius Dominicus Valvaſorius Vicarius Generalis dicti Ordinis, ut lites, & contentiones, quæ non infrequenter, tum in celebratione Capitulorum Provincialium, tum aliis in occaſionibus Religioſorum dictæ Provinciæ pacem turbare poterant longius eliminarentur, die 30. Julii 1678. de conſilio ſuæ Congregationis alias nonnullas ſuper præmiſſis provisiones fecit, ac Decreta, Statuta, Ordinationes, Declarationes, & Provisiones huiuſmodi in unum corpus redigi, & in capitula, ſeu articulos diſtingui mandavit tenoris qui ſequitur, vide licet.

Recen-
ſentur De-
creta ipſa,
quæ præ-
cipiunt.De Con-
ſtitutioni-
bus Apo-
ſtolicis ob-
ſervandis,
conventi-
culis re-
movendis,
cum reſtri-
ctione
quoad E-
lectores.

I. Et primò cum experienciâ didicerimus, ex Capitulorum Provincialium celebratione, lites ac diſcordias precipuè oriri: Volumus quòd Pater Præſidens Capituli Provincialis, durante officio ſibi commiſſo, Apoſtolicas & Religionis Conſtitutiones, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus diligenter ab omnibus, & ſingulis obſervari faciat: Omnia Conventicula (& præſertim de nocte tempore ſilentii) penitus removeat, tranſgredientes & inobedientes, juxta earumdem Conſtitutionum præſcriptum corrigendo, & ad obedientiam cogendo; non tamen poſſit aliquem ex Electoribus per modum carceris, vel cuſtodie in cellis claudere, niſi factò priùs proceſſu ob formalem inobedientiam, vel alium gra-

vem exceſſum, qui ſimilem poenam mereatur, ſalvata tamen ſemper Electorum libertate, etiam circa tractatus licitos de electione faciendâ, nec non de meritis eligendorum.

II. Decernimus, quòd Pater Præſidens, antequàm Judices cauſarum eligantur, neque per ſe ſolus, neque cum aliis ſub quolibet motivo, vel prætextu etiam qualificandi, aut legitimi mandati Patres, qui in imminente Judicium cauſarum electione activam, vel paſſivam vocem habere debent, ex iis aliquem una, vel altera voce privare, vel à prædictâ electione excludere, aut privatum, vel excluſum declarare poſſit: Inherentique præterea Conſtitutioni Apoſtolicæ Pauli V. de die 14. Julii 1614. incip. Nuper à Nobis &c. & Decreto Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ de die primâ Aprilis 1601. ſub Clemente Octavo, etiam decernimus & mandamus, ut prædictorum Judicium cauſarum electio Canonice, ac per ſchedulas ſecretas, nullaque facta per P. Præſidentem propoſitione in poſterum fiat; Et quòd in huiusmodi electione Pater Provincialis, ſeu Rector Provinciæ, primus & ſecundus Definitor cum interventu P. Præſidentis Capituli munere Scrutatorum fungantur: Item quòd prædicti Judices Cauſarum de cætero nullo modo eligantur, niſi ex iis Patribus, qui ſunt de corpore Capituli, quos omnes & ſingulos habiles, & idoneos ad ejuſmodi officium indifferenter haberi volumus & declaramus; In eorum verò electione ſuffragium ferant omnes & ſinguli, qui vigore Conſtitutionum, Statutorum, Declarationum, vel Privilegii, ſeu aliàs vocem activam ad Provincialis electionem proximè futuram pro illo tunc habuerint, ſeu in quaſi poſſeſſione eligendi fuerint; irritum ac inane ipſo factò & abſque alia declaratione decernentes, ſi ſecus ſuper his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

III. Statuimus præterea, & juxta prædicta Decreta Pauli Quinti, & Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ volumus & ordinamus, ut electio quatuor Definitorum actualium, non ſolum per ſchedulas ſecretas, ſed etiam Canonice in poſterum fiat; Ac inſuper ut tres Definidores additi, ſeu in ſupplementum ab omnibus Electoribus, eadem unicâ ſuffragatione ac iuſdem ſchedulis ſecretis, quibus prædicti quatuor Definidores actualis eliguntur, de cætero eligantur: Si autem evenierit, quòd tam prædicta electio quatuor Definitorum actualium quàm Judicium Cauſarum, Patris Provincialis, Viſitatorum Provinciæ, vel aliorum quorumcumque Officialium, qui Canonice, ac per ſchedulas ſecretas ſunt eligendi, prima vice non deprehendatur legitime facta, & ſubſequuta; Tunc declaramus, & præcipimus, ut inviolabiliter obſervetur prædicta Conſtitutio Pauli Quinti, Nuper à Nobis. Ita ut ſolum per ſcrutinium ſecretum ſchedularum, toties iterandum intrâ tempus exceſſum Electoribus ad eligendum, quoties opus fuerit, huiusmodi electio, vel electiones de cætero fiant: Irritum, ac inane ipſo factò, & abſque alia declaratione decernentes, ſi ſecus ſuper his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

IV. Ut lites, & diſcordiæ, quæ circa auctoritatem, & juriſdictionem P. Præſidentis, & Judicium Cauſarum frequenter oriri ſolent, penitus removeantur; Declaramus prædictos Patres nullam habere auctoritatem, ſeu juriſdictionem voce activa, vel paſſiva aliquem privandi, aut ab electione excludendi; neque novos proceſſus ad hos effectus, vel ad aliquem eorum conſciendi, niſi ſolum propter caluſ notorios, intrâ duos meſes ante electionem Patris Provincialis emergentes, & quatenus Reo

De iis
quæ circa
electio-
nem Judi-
cum cau-
ſarum ſunt
obſervan-
da.De mo-
do eligen-
di Defini-
tores.De Patris
Præſiden-
tis Judi-
cumque
Cauſarum
jure circa
privatio-
nem vocis
activæ vel
paſſivæ.

nulla defensio etiam probabilis de jure competat, ac hujusmodi poena, vel poena ipso facto incurrantur, vel incurse fuerint: Priores autem suspensos, & alios quoscumque Reos, qui à Patre Provinciali, & Definitoribus ante prædictos duos menses judicari definitivè non potuerunt, servatis servandis privare poterunt, dummodo tamen casus privationis sint in Constitutionibus expressi, & causa, vel causa contra eos judicialiter, & legitime ad præscriptum Decreti sub numero 24. infra positi, per Patrem Provincialem, vel per alium legitimam auctoritatem habentem auctoritatem & conclusam, ad Sententiam sint: Alias si adversus aliquem ex Patribus vocem activam, vel passivam habentibus, quæcunque aliæ causæ, informationes, denunciationes, accusationes, vel protestationes deduci contigerit, cum tempore electionis dolosæ, ac malitiosæ præsumantur, & intra brevissimum horarum terminum novi processus prout de Jure, & præcipue circa hujusmodi causas, utpotè altiorem requirentes indaginem, judicialiter substantiari, assertique Rei sine eorum, ac etiam electionis præjudicio privari, vel ab electione excludi, aut privati, vel exclusi declarari non possint; Eas omnes, & singulas ad præscriptum Nostrarum Constitutionum 3. p. c. 7. numer. 2. §. 1. Definitorio scilicet noviter eligendo referant. Et nihilominus ad electionem, & electiones sub protestatione admittantur; Irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes quidquid secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit: Undè verba illa prædictarum Constitutionum ibidem, ac de habentibus vocem tam activam, quam passivam, omnem controversiam dirimant; Et illa §. 4. ejusdem capituli, Si quis noverit causam, propter quam vocem quis activam, vel passivam habere non debeat in præsentis Capituli, eam referat Judicibus causarum; Conformiter ad hanc declarationem intelligenda esse declaramus, consequenterque omnes, & singulas electiones, quæ sub hujusmodi declaratione in posterum celebratæ fuerint, juxta verba ejusdem Textus sine vitio, & nullitate quoad hanc partem pertransire, etiam declaramus.

De Vocalium numero & relectionum motu expressis & adnotandis.

V. Ne Canonica Patris Provincialis electio ob incertitudinem facti possit aliquando in dubium revocari, volumus & præcipimus Patribus Definitorii, ut numerum Vocalium, qui ad electionem activè concurrerunt, & quot favorabilia suffragia quisque passivè ad eam concurrens pro se habuerit, clarè & fideliter exprimant in actis Capituli, quæ ad Nos, & Successores Nostros pro confirmatione obtinendâ mittuntur; in quibus etiam diligenter & expressè adnotari mandamus causas, & motiva relectionum Priorum, si aliquando eorum aliquem in casibus per Constitutiones permissis 3. p. 2. §. 9. in Priorem ejusdem Conventus reelegi contigerit; secus relectionem ex nunc prout ex tunc irritamus & annullamus, irritamque & annullatam esse volumus & declaramus.

De tempore durationis Definitorii Capituli Provincialis.

VI. Ut communia & particularia Provinciae causæ & negotia, maturâ, quâ par est expediantur consideratione, & Definitorii Patres ad præscriptum nostrarum Constitutionum 3. p. c. 7. num. 15. §. 3. nihil indefinitum relinquunt, quatenus omnibus ritè ordinatis, Provincia tota usque ad sequens Capitulum Provinciale quiescere valeat in sanctâ pace: quindecim eisdem dies pro termino præfixo assignamus, quibus causæ & negotia ad eos delata examinare, determinare & expedire possint & debeant; non tamen ultra prædictos quindecim dies Definitorium Capituli Provinciali extendi volu-

mus, non obstante quocumque Decreto, vel consuetudine in contrarium, sed eo elapso tempore idem conclusum & absolutum, ac Patris Præsidentis jurisdictionem ipso facto extinctam esse decernimus & declaramus: Quod si Pater Præsidentis ultra præfinitum quindecim dierum terminum Definitorium protrahere præsumpserit, poenam privationis utriusque vocis per decennium ipso facto incurrat, nullumque ac irritum sit, quidquid gestum vel attentatum fuerit: Porro si aliqua causa sese offerat, quæ ob gravia motiva tam citò nequeat expediri, Definitorio privato deferatur, cui Definitorio præsentium statutorum, atque Declarationum vigore, omnis facultas desuper necessaria & opportuna, perpetuò datur, & data declaratur, quatenus eam prout de jure examinet & determinet, examinareque & determinare teneatur.

VII. Statuimus item, ac decernimus, quod Pater Provincialis causas graves, vel gravia negotia communia, vel particularia, quæ extra tempus Capituli, vel Congregationis Provincialis fuerint determinanda, vel expedienda, nisi cum quatuor Definitoribus actualibus dumtaxat, ac sub formâ Capituli privati congregatis nullatenus determinare, vel expedire possit; nec aliquo, vel aliquibus ex prædictis quatuor Definitoribus Actualibus exclusis, vel non admissis Capitulum privatum per se, vel per alium celebrare valeat, sed ad illius celebrationem, omnes & singulos prædictos quatuor Definidores, sub poenâ nullitatis agendorum ipso facto, & absque aliâ declaratione incurrenda convocare, & admittere teneatur; quod ut facilius exequi possit, non obstante supplicatione per Provinciam Nobis exhibitâ, confirmamus & innovamus, ac omnino observari jubemus Reverendissimi Valvasorii Prædecessoris Nostri Decretum, quo statuitur, ut in Conventu Quitenfi omnes Definidores de Familiâ degant, à quo prædicto Conventu decernimus ut nullum ex prædictis quatuor Definitoribus Pater Provincialis, etiam ad breve tempus, sub poenâ privationis vocis activæ, & passivæ per quinquennium ipso facto incurrendâ, ullo modo removere, vel exiliare possit. Si tamen quis eorum, convalescentiæ, aut honestæ recreationis causâ ad aliquem viciniorem locum ire postulerit, eidem ad necessarium, vel ad breve tempus respectivè, hujusmodi licentiam concedere poterit; & ut prædicti Patres Definidores suam auctoritatem, & potestatem etiam in judicando liberè exercere possint & valeant, prohibemus P. Præsidenti Capituli, Patri Provinciali, & aliis Patribus cujuscunque Definitorii etiam Capituli Provincialis, nec Superioribus etiam Localibus sub prædictâ poenâ privationis vocis activæ, & passivæ, ne ad aliquod officium, vel ministerium etiam non electivum, tum cum curâ Animarum etiam Indorum, tum sine illâ, etiam sub titulo Vicarii Visitatoris, vel Administratoris, vel sub alio quocumque titulo, vel nomine aliquem, vel aliquos ex prædictis quatuor Definitoribus respectivè promoveant, vel provideant, nec ipsi Definidores, vel aliquis eorum sub eadem poenâ privationis, promotionem, vel provisionem aliquam ullo modo acceptent, vel exercent: Irritum insuper ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes quicquid in contrarium quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

VIII. Provinciale processari, officio privati aut ab eodem suspendi, vel aliâ puniri poenâ etiam per sententiam declaratoriam non posse declaramus, nisi in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ; De iis enim dumtaxat, non verò de Definitorio Capituli privati intelligendum esse declaramus

De quatuor Definitoribus à Capitulo privato non excludendis, à Conventu Quitenfi non exiliandis nec ad alia officia promovendis.

De Patre Provinciali, Definitoribus actualibusque Patribus nominatis non nisi in Definitorio Capituli

Defi-

Provincia-
lis, aut
Congrega-
tionis
interme-
diæ pro-
cessandis
& inpen-
dendis.

Definitorium Provincie, à quo nostræ Sacre Constitutiones 3. p. c. 11. §. 9. Provinciam puniendum decernunt. Hinc revocandum censum, prout cum effectu revocamus Decretum Reverendissimi Valvasorii Prædecessoris nostri, quo pro punitione P. Provincialis Definitorium Capituli privati octo Patrum stabilivit; insuper privationis, suspensionis, vel aliam respectivè penam, ut supra, Provincialis non subeat, nisi juris ordine servato ob excessus, vel casus pro ipsius privatione, vel suspensione in Constitutionibus expressos; propter quosmetipsos dumtaxat excessus, vel casus respectivè, ac in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae tantum (ut de Patre Provinciali dictum est) Patres Definitores, Exprovinciales immediatum, Expressidentem immediatum, & Visitatores Provincie processari, voceque, officii, aut gradibus; juris tamen ordine servato, supendi, vel privati, aut suspensos, vel privatos declarari posse, etiam declaramus: irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes, quidquid propter alios excessus, vel casus, aut alio tempore, seu juris ordine non servato, contra Patrem Provinciam, ceterosque, & singulos nominatos Patres fieri, vel attentari contigerit; Verba namque Constitutionum 3. p. c. 12. §. 20. ibi: Prior Provincialis poterit eos (scilicet Visitatores) corrigere & punire, de correctione, & punitione regulari ad penitentiam, extrajudicialiterque imponendis, & non aliter, neque alio modo intelligenda esse declaramus. Verum cum prædictis Patribus in Definitorio novi, ac immediati Capituli Provincialis, utpotè suorum officiorum tempore jam completo, prædictæ penæ privationis, suspensionis, vel depositionis ab officii nullatenus imponi possint, prædictum Definitorium Capituli Provincialis recentitas penas, juxta excessus tamen qualitatem, commutare debet in privationem privilegiorum, vocis, vel in alias respectivè penas indispensabiliter subeundas.

De Defi-
nitoribus
subrogan-
dis & sub-
rogatorum
jure.

IX. Si quis Definitorem ex hæc vitâ migraverit, vel inevitabili aliquo præpedito impedimento, munus suum exercere non poterit, aut illi iustus ex causis renunciaverit; tunc sine morâ primus Definitor ex tribus additis, ille scilicet, qui cæteris plura suffragia in eorum electione habuit, etiam si omnes tres majorem partem omnium suffragiorum habuerint, & in paritate, seu æqualitate suffragiorum, antiquior gradu, & si graduati non fuerint, Professione antiquior; conformiter ad nostras sacras Constitutiones 3. p. c. 7. n. 5. §. 1. & eadem 3. p. c. 8. §. 3. ejus loco subrogetur, illoque deficiente, secundus, & postea tertius eodem ordine servato, quod etiam in similibus, & in aliis quibuscumque casibus subrogandi, seu supplendi emergentibus omnino observetur ac fiat: Quod si nullus eorum inveniatur, recursus habeatur ad antiquiorem ex quatuor Definitoribus quadriennii immediatè præteriti, illoque deficiente, ad illi immediatum &c. & omnibus prædictis quatuor deficientibus, ad unum ex Definitoribus additis ejusdem quadriennii, supradicto ordine omnino servato, sicque retrocedatur ad alia Capitula præterita, donec integretur numerus quatuor Definitorum, non obstante supplicatione Provincie in contrarium nobis factâ; qui verò non ad causam, vel causas particulares, ut in casu discordiæ, vel recusatationis contingere potest, sed ad Universalitatem causarum pro hujusmodi subrogatione Definitorium ingreditur, numerumque quatuor Definitorum actu exercentium constituit;

confirmantes, & quatenus opus sit, innovantes Declarationes Reverendissimorum Patrum, voce, loco, cæterisque, subrogatione durante, gaudeat exemptionibus, & privilegiis absque ullâ prorsus differentiâ, quibus Definitores actuales in Capitulo Provinciali electi gaudent, & si omnibus istis antiquior sit, & casus emerferit, quod nullus in Præsidentem Capituli Provincialis, per litteras Patris Generalis deputetur, ipse tanquam primus Definitor (licet subrogatus) Præsidentia potiri debet conformiter ad nostras sacras Constitutiones 3. p. c. 7. n. 1. §. 4. Et si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione.

X. Omnes & singulos Patres Definitorii in omnibus & singulis causis, vel negotiis in Definitorio etiam privato sententiandis, seu quomodocumque pertractandis, vel determinandis, semper habere vota decisiva declarantes, decernimus, quod si aliquis eorum pro suffragatione secretâ instantiam fecerit, per ballotulas secretas omnino fiat sub penâ nullitatis agendorum ipso facto, & absque aliâ declaratione: Inhibentes præterea Patribus, Præsidenti Capituli, Provinciali, & alteri cuicumque sub penâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrendâ, ne in Definitorio etiam privatis, quorum Præsidentia in eos respectivè pertineat, per se, vel per alium liberam, & independentem Patrum Definitorii suffragationem publicam, vel secretam, quovis modo impediant, neque ad suum sensum eorundem vota extorquere attentent; Et si in puncto Juris prædicti Patres, vel aliquis eorum difficultatem aliquam habuerint, consultum cum Advocatis, seu Jurisperitis etiam secularibus habere possint & valeant.

XI. Ut quodcumque Definitorium, vel Tribunal etiam Capituli Provincialis, vel privati, in suis judiciis, vel congressibus sententiam, vel determinationem faciat, facereque intelligatur, majorem partem omnium votorum respectivè consentire, & concurrere debere; nec non prædictæ majori parti minorem cedere, ac sententiæ, vel determinationi factæ subscribere teneri, etiam si Præsidentem Capituli, vel Patrem Provincialis pro dictâ minori parte steterit, volumus, decernimus & declaramus; in casu verò discordiæ, ut vocant, si in quocumque Definitorio oriri contigerit, pro eâ tollendâ vocetur & admittatur ille Definitor additus, qui in casu supplementi pro integrando Definitorio primo vocari, & admitti deberet; & si hujusmodi vocatio quâcumque ex causâ effectum non fortietur, vel discordia adhuc ablata non fuerit, recursus tunc habeatur ad alium, & alium Definitorem additum &c. conformiter ad Decretum sub numer. 9. supra positum, donec prædicta discordia cesset, sententiæque, vel determinatio à majori parte fiat: Si autem in Tribunali Præsidentis Capituli, & Judicum causarum prædicta discordia oriatur, pro eâ tollendâ vocetur, & admittatur Pater Provincialis, seu Rector Provincie; & si hujusmodi vocatio quâcumque ex causâ effectum similiter non fortietur, vel discordia adhuc ablata non fuerit, recursus tunc habeatur, primò ad Definitores actuales suo ordine, postea ad additos, donec prædicta discordia cesset, sententiæque, vel determinatio à majori parte, ut supra fiat: Et si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit, totum sit irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ Declaratione.

XII. Cum per nostras Sacras Constitutiones 3. pag. 10. §. 3. cautum sit, ne Ca-

De Suffragatione
Definito-
rum tum
secretâ
tum publi-
câ.

De ma-
jori parte
in senten-
tiis facien-
dis sequen-
dâ & de
observan-
dis in ca-
su discor-
diæ.

De Pa-
tribus vo-
cem acti-

vam vel passivam habentibus ea voce intrâ tempus nominatû non privandis.

pitulum privatum Priorem aliquem intrâ duos menses ante Capitulum Provinciale, & intrâ duos alios ante Congregationem intermediam Prioratus officio privare possit, prohibitionem hujusmodi, etiâ respectu omnium, & singulorum Patrum vocem activam, vel passivam habentium, & non solum per sententiam condemnatoriam, sed etiam declaratoriam intelligendam esse declaramus; ita ut prædictum Definitorium privatum nullum Patrem, cui ratione gradus, officii, vel aliâs vox activa, vel passiva competat, prædictâ voce activâ, vel passivâ, gradu, vel officio intrâ duos menses ante Capitulum Provinciale, & intrâ duos alios ante Congregationem intermediam privare, nec privatum declarare ullo modo possit: Neque cum aliquis semel electus, & confirmatus à Patribus cujuscunque Definitorii respectivè fuerit, electionem confirmatam tanquam nullam declarare intrâ prædictos duos menses valeat. Et si secus super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione, & tam Pater Provincialis quam Definitorius penam privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrant.

De Priorum Localium gubernio, prædiis, fructibus & redditibus Conventuum per Patrem Provinciale non administrandis, & de Administratorum subrogatione.

XIII. Volumus insuper, & decernimus, quod Pater Provincialis in attinentibus ad primam instantiam, & gubernium immediatum, & ordinarium Superiorum Localium nullo modo se intromittere possit; præterquam in casibus à jure permisis, cui insuper præcipimus sub penâ privationis vocis activæ, & passivæ per quinquennium ipso facto incurrendâ, ne administrationem prædiorum, fructuum & reddituum Conventuum undequaque provenientium per se, vel per alios, directè, vel indirectè, sub nullo prætextu, motivo vel titulo sibi arrogare, seu adjudicare audeat; quod si inter visitandum Regularem, vel secularem Administratorem prædii, vel prædiorum removendum iustis ex causis invenerit, & cum effectu removeat; tunc sub eadem penâ privationis vocis eidem Patri Provinciali inhibemus, ne in provisione novi Administratoris ullo modo se ingerat, sed certiorum faciat Superiorem Localem conventus, ad quem tale Prædium, seu Prædia spectant, ut ipse Superior Localis de consensu Patrum Consilii de alio, seu de aliis Administratoribus provideat: In casu præterea quo à gravamine Prioris Localis ad P. Provinciale appellatio interponatur, volumus, & declaramus hujusmodi causam à P. Provinciali, & Definitoribus saltem in Capitulo privato etiam intrâ bimestre, non tamen post recognitionem P. Presidentis, prout de jure cognoscendam, & determinandam esse; Et si secus super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione.

De Visitationibus præter duas Generales ordinarias à P. Provinciali non faciendis, de iuribus quæ ipsi competant & non competant.

XIV. Generalem aliquam vel particularem visitationem P. Provincialis sub quovis prætextu, vel motivo facere non possit, præter duas visitationes generales totius Provinciae, quas intrâ quadriennium, unam scilicet singulo biennio sui Provincialatus facere debet; Ita verò in Conventu Quitenfi intrâ quindecim dierum, & in singulis aliis Conventibus, doctrinis, ac prædiis intrâ decem dierum terminum concludere omninò teneatur, intrâ quem terminum si aliquem Superiorem Localem propter casus in Constitutionibus expressos dignum suspensione invenit, eundem etiam extrajudicialiter procedens, & ad præscriptum prædictarum Constitutionum 3. p. c. 12. & 15. f. 13. §. 17. ab officio suspendere poterit: Quod si in prædictis visitationibus summarè, vel aliâs inveniat aliquem Superiorem vel inferiorem in quâcumque

causâ civili, vel criminali judicialiter, & compilato processu audiendum esse; Tunc tanquam Juxta, & extrâ formalitatem visitationis causam, vel causas, tum intrâ, tum extrâ prædictum terminum visitationis prout de jure cognoscat ad præscriptum Decreti sub numero 24. intrâ positi; De causis verò, judiciis, vel negotiis, tum civilibus, tum criminalibus aliâs judicatis, conclusis, vel determinatis, nec non de quibuscunque sententiis in judicatum translatis, præcipuè absolutoriis inquirere, eave movere, fuscitare, vel recognoscere, etiam ad instantiam partis nullatenus possit: Item per se solus tam intrâ, quam extrâ terminum prædictæ visitationis Patrem aliquem, cui ex gradu, vel officio, seu aliâs vox activa in Capitulis Provincialibus, seu in aliis quibuscunque electionibus competat, prædictâ voce, gradu, vel officio etiam per sententiam declaratoriam privare, aut titulo suspensionis, vel sub quocunque motivo, vel prætextu, etiam quod Reus, vel processatus existat, ab eadem voce, gradu, officio, vel electione, directè, vel indirectè, mediâ, vel immediatè excludere nullo modo possit; Sed si prædictâ voce, gradu, vel officio propter quocunque motivum, vel causam carere debeat; Tunc servatis servandis per sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam à Definitorio saltem Capituli privati, prout de jure ferendum, respectivè privetur, vel privatus declaretur, aut ab electione excludatur, & non aliter, neque alio modo; Quod si Pater Provincialis contrarium super his quovis modo facere, vel attentare præsumperit, totum sit irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione, privationemque utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrat.

XV. Quoties Provincialis, vel quicumque alius Superior sententialiter, vel provisionaliter Religiosum aliquem à Conventu Curato Indorum, vel prædio removeat, vel in exilium miserit, teneatur sub penâ privationis utriusque vocis per quinquennium, eundem Religiosum de ejus discessu per tres dies ad minus ante remotionis, vel exilii executionem præmonere, ut ad Conventum, seu locum sibi destinatum possit honestè accedere: Volumus præterea ac decernimus, quod si aliquis, vel aliqui ex Patribus Vocalibus, vel Definitoriis à Conventu, in quo Capitulum Provinciale, Congregatio intermedia, vel aliud quodcumque Definitorium fuerint celebranda, etiam per sententiam declaratoriam in exilium mittatur, vel missus fuerit, non obstantibus prædicto exilio, & quibuscunque aliis, ad eundem Conventum tempore celebrationis Capituli Provincialis, Congregationis intermedie vel Definitorii pro suffragio ferendo, vel in Definitorio jurisdictionem exercendo liberè & licitè accedere possit & valeat; nec Pater Provincialis, aut quicumque alius eundem à tali accessu ullo modo impedire possit sub penâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrendâ: Capitulo autem Provinciali, vel Congregatione intermedia, vel Definitorio, seu Definitoriis, finito, seu finitis statim recedat, & exilium fervet.

XVI. Per convocatoriam, quæ à P. Provinciali, vel à quolibet alio Superiori pro Capitulo Provinciali, Congregatione intermedia, vel aliâ quâcumque electione fieri solet, convocatos intelligi volumus, & declaramus, omnes & singulos in habitu, vel actu vigore Constitutionum, vel privilegii, aut quasi possessionis, ad Præscriptum Decreti sub num. 2. supra positi in iisdem jus eligendi habentes, respectu quorum nulla fieri possit prohibitio, quæ si fiat pro nullâ habeatur, eaque non obstante, ad Electionem, vel Definitorium accedere possint & debeant: Congregationem insuper intermediam Pa-

De ratione Religiosorum exiliandi & removendi, & de jure exiliatis reservato.

De con-vocandis ad Capitulum Provinciale, & Congregationem intermediam, de quæ hæc nullatenus proroganda.

ter Provincialis, aut Rector Provinciae nullo motivo, vel praetextu prorogare valeat, sed statuto tempore in medio quadriennii, die scilicet 24. Mensis Julii, praedictae Congregationis primam sessionem per se, vel per alium celebrare teneatur, sub poenis privationis utriusque vocis per quinquennium, nullitatisque agendorum ipso facto incurrendis.

De P. Ex-
provincia-
li iudicio
Syndicatus
à Definito-
rio Capituli
Provincia-
lis vel
privati ju-
dicando.

XVII. Provincialis, seu Rector Provinciae, elapso sui officii tempore, coram Definitorio Capituli Provincialis stare teneatur iudicio Syndicatus, seu (ut vocant) Residentiae: Praedictum autem Definitorium privatim quoad aliam quamcumque auctoritatem, vel iurisdictionem etiam Patris Provincialis, & Congregationis intermediae, tum ad instantiam partium, tum ex officio, de excessibus Administrationis officii, nec non personalibus, durante officio commissis, prout de iure inquirere, iudicare, & determinare teneatur: Verum si aliqua, vel aliqua contra Patrem Exprovincialem, aut Rectorem Provinciae deferantur causae, quae à Definitorio Capituli Provincialis intra quindecim dies suae durationis definiti nequeant, Definitorio Capituli privati, cui praesentium statutorum atque declarationum vigore omnis facultas desuper necessaria, & opportuna perpetuo conceditur, & concessa declaratur, deferantur; quatenus intra terminum praecipuum duorum mensium causam, vel causas sibi delatas, prout juris fuerit, finiat, & determinet, finireque, & determinare omnino teneatur: Exprovincialis autem, vel Lector Provinciae quousque iudicium Syndicatus sententia-liter absolutum non fuerit, ad quaecumque officia etiam minima inhabilis omnino remaneat.

De alteri-
us Provin-
ciae Reli-
giosorum
affiliatione

XVIII. Quandocumque contigerit Religiosos alterius Provinciae Alumnos huic Provinciae Quincenti affiliari; tunc confirmantes, & partim moderantes Decreta Reverendissimorum Patrum in praedicta Provincia admittenda, nec non iuxta Decreta Capituli Generalis celebrati anno 1661. tam licentiam à P. Reverendissimo Generali in scriptis habendam, quam consensum authenticum utriusque Definitorii saltem privati unius, & alterius Provinciae, à qua scilicet & ad quam pro validitate affiliationis, omnino intervenire debere decernimus, & declaramus, secus affiliatio irrita & nulla sit, ipso facto, & absque alia declaratione: Nullus item alterius Provinciae, nisi prius eidem legitime affiliatus sit, neque aliquis ex noviter affiliatis, vel in posterum affiliandis, nisi triennio transacto à die legitime affiliationis in Definitorem, vel Visitatorem, Regentem, Secretarium, Doctrinarium, Priorem, seu Vicarium cujuscumque Conventus, vel Domus etiam Indorum, vel Praedii eligi, aut deputari possit; secus electio, vel deputatio irrita, & nulla sit, ipso facto & absque alia declaratione.

De officii
renuncia-
tione cor-
am De-
finitorio
Capituli
Provincia-
lis seu pri-
vati faci-
enda & ju-
stificanda.

XIX. Si P. Provincialis, aut quilibet alius ex novem Definitorii Patribus legitime ex causa, officio suo semel accepto renunciare voluerit, coram Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae id facere licite possit & valeat; Praedictum autem Definitorium causam renunciationis approbatam, renunciationeque acceptatam, ut defectus renunciationis suppleatur, prout de iure omnino procedere teneatur: Patres item Priores, Vicarii Priores, studiorum Regentes, Provinciaeque Secretarius, si causam legitimam renunciandi suis officis semel acceptatis similiter habuerint, & eisdem renunciare licite possint & valeant, non tamen per sex menses ante tempus Congregationis intermediae: Quocirca Textum nostrarum Constitutionum 3. p. cap. 7. numer. 17. §. 3. ibi: Si verò Prioratus officium acceptare renuerit

finem causam praedictam, quam iudicare tenentur Pater Provincialis, & Definitores idem intelligendum esse declarantes, etiam respectu eorum, qui praedictis officis semel acceptatis renunciare voluerint; Decernimus & declaramus, huiusmodi Patres suas renunciationes coram Patre Provinciali & Definitoribus actualibus, in Definitorio saltem Capituli privati congregatis facere teneri; ad quod Definitorium causae, vel causarum renunciationis approbationem, praedictaeque renunciationis acceptationem, nec non si post Congregationem intermediam renunciatum acceptari contigerit, Electionem, seu Provisionem alterius Officialis in locum renunciantis sufficiens, ad praescriptum earundem Constitutionum 3. p. cap. 9. duraturam pleno jure pertinere similiter declaramus; & si secus super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione: Verba autem Constitutionum 3. p. cap. 2. §. 5. ibi: Nullus item possit vocis suae renunciare sub poena privationis vocis activae per biennium: de renunciatione solius vocis, ut praedicta verba sonant, non autem de renunciatione officiorum intelligenda esse declaramus, & non aliter, neque alio modo.

XX. Si quis autem in quibuscumque causis civilibus, vel criminalibus à Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae nulliter, aut cum iniustitia notoria iudicatus, vel spoliatus fuerit, ad remediaque juris (absolutis praedictis Definitoriis) recurrere voluerit; tunc per se, vel per ejus Procuratorem, etiamsi absens fuerit, coram Definitorio Capituli privati, de praedicta nullitate vel iniustitia notoria, processus, vel sententiae, nec non restitutionem in integrum dicere, conqueri, & postulare legitime possit & valeat: Verba namque nostrarum Constitutionum 3. p. c. 10. §. 3. ibi: Non tamen poterunt sententiae, vel determinationes Capituli, vel Congregationis Provincialis mutare, vel alterare, in casibus spoliis, vel nullitatis, aut iniustitiae notoriae locum non habent, neque eos comprehendunt, & ita intelligendum esse declaramus Capitulum verò privatum etiam cum facultate desuper necessaria & opportuna, quae vigore praesentium statutorum atque declarationum ei perpetuo conceditur, & concessa declaratur, quoad praedictam nullitatem, vel iniustitiam notoriam, ac etiam quoad spoliati restitutionem usque ad sententiam definitivam, prout juris fuerit, procedere omnino teneatur, quod etiam in simili eventu P. Praesidentem & Iudices causarum facere posse declaramus: Magistri propterea & praesentati, semel à Provincia acceptati, gradibus Magisterii, vel Praesentaturae seu aliquo ex eorum privilegiis nullo modo possint suspendi, vel privari, aut suspensi, vel privati declarari, nisi propter casus dumtaxat pro eorum privatione vel suspensione in Constitutionibus expressos, & per sententiam à Definitorio Capituli saltem privati, juris ordine servato proferendam; Et si contrarium super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum & inane ipso facto, & absque alia declaratione: Praesati insuper Magistri à Provincia acceptati, quoad habilitatem ad officium Provincialatus, absque eo quod Conventuum Priores aliquando extiterint, confirmantes & innovantes declarationem Reverendissimi Valvasorii Praedecessoris nostri, eo quod omnes actu legerint & docuerint, privilegio Regentium gaudeant & potiantur.

XXI. Vicarii Priores, qui loco Priorum, vel Vicariorum Titularium, cum voto, vel ante, vel post Congregationem intermediam quomodolibet eliguntur, vel providentur, nullo modo ad libitum removeri possint, sed si motiva ad sint privationis, vel declarationis privationis,

De ap-
pellatione
ad Definito-
rium Capitu-
li privati in
casu iniusti-
tiae notoriae,
& de
personis
graduatis
extra casum
in Constituti-
onibus
expressos
gradu non
privandis.

De Vica-
riis Priori-
bus pro
libitu non
removendis
de eorundem
residentia &
de Electio-
ne Vicario-
rum Con-
ventuum
in eorum
absentia.

contrà eos procedendum esse declaramus eodem modo & formâ præscriptis in Constitutionibus 3. p. c. 13. §. 17. & in Decreto sub n. 24. infra posito; irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, quidquid secus fieri, vel attentari contigerit; Innovantes præterea, & ampliantes Decretum Reverendissimi Lanfrancii pro eadem Provinciâ Quitenfi emanatum, præcipimus omnibus & singulis Prioribus, & Vicariis Prioribus in Capitulo Provinciali, seu alias electis, vel provisus sub pœnis privationis prædictorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum per quinquennium obtinenda, ut in Conventibus, Doctrinis, vel Prædiis, pro quibus sunt electi, vel provisus ad præscriptum Constitutionum 3. p. c. 13. §. 9. omnino residere teneantur; Paterque Provincialis, seu Rector Provincie, vel alius quicumque Superior sub pœnâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrenda eisdem, vel alicui eorum nullo modo residentiam impediunt, sed eos ad ita residendum cum effectu respectivè compellant: Et cum Priores, seu Vicarii Priores ad Capitulum Provinciale ire debent, prædictus Provincialis, seu Rector Provincie sub eadem pœnâ privationis de Vicariis, qui Conventibus interim præsent, excepto unico casu in Constitutionibus expresso 3. p. c. 20. §. 1. nullo modo provideant, sed conformiter ad dispositionem ejusdem cap. 20. si prædicti Conventus Suppriorum non habuerint, Vicarii eligantur; Nec sub eadem pœnâ privationis, auctoritatem, & gubernium interimarium Supprioris, vel in ejus deficientiâ prædictas electiones valeant impedire, vel secus super his quovis modo audeant attentare.

De iis quæ in dicto casu circa suffragatione secretam & sententiam faciendam sunt observanda.

XXII. Quotiescunque juxta præscriptum nostrarum Constitutionum Superior Localis ad aliquam causam, vel negotium pertractandum Patribus Consiliariis uti debet; (inter quos semper numerari debere declaramus, & præcipimus studiorum Regentes, & Lectores Sacre Theologie, & Artium, tam actuales, quam jubilatos) tunc omnes, & singulos Patres Consiliarios vota decisiva habere declarantes, decernimus, quod si aliquis eorum pro suffragatione secretâ instantiam fecerit, per ballotulas secretas omnino fiat, & in omni eventu, nisi eorum major pars concurrat, & consentiat, sententia, vel resolutio nullo modo sit, neque intelligatur facta: Superior verò sub pœnis privationis utriusque vocis per quinquennium, & nullitatis agendorum ipso facto incurrendis, neque liberam Patrum suffragationem publicam, vel secretam valeat quovis modo impedire, neque eorundem vota ad ejus sensum extorquere.

De judicialiter reclamante, voce & officio privando, & quâ ratione recipiendo.

XXIII. Si quis in posterum contrâ suam Professionem judicialiter reclamaverit, vel de ejus nullitate dixerit, à quocunque officio, quod pro tunc habuerit, ipso facto sit absolutus & privatus, litæque seu reclamazione durante, nec vocem activam, nec passivam ullo modo habeat: Et si in quocunque statu causæ, vel post sententiam definitivam, etiam in judicatum translata ad matrem suam Religionem redire velit, charitativè quidem recipiatur; ita tamen ut si factò processu ad præscriptum Decreti sub n. 24. infra positi legitime constiterit, indebitè, ac malitiosè, & præsertim ad se subtrahendum à correctione Superioris contrâ professionem reclamasse, vel de ejus nullitate dixisse; Si Graduatús, vel Sacerdos tantum fuerit, locum novissimum inter Graduatós, vel Sacerdotes per annum respectivè habeat, & utrâque voce careat per biennium: Si verò non Sacerdos, sive Chorista, ut vocant, fuerit, pœnam gravioris culpæ per unum mensem sustineat, & ad Sacros Ordines etiam si in eis initiatus fuerit, per triennium nullo modo promoveatur: Et si tandem Laicus fuerit, eandem

pœnam gravioris culpæ per unum mensem subbeat, & locum novissimum teneat per biennium.

XXIV. Cum P. Provincialis, etiam tempore Visitationis in quibuscumque causis civilibus, vel criminalibus procedit, seu procedere intendit ad imponendum, etiam per sententiam declaratoriam, pœnam, vel pœnas graviores ordinarias, scilicet privationis vocis activæ vel passivæ, Dignitatis, Prioratus, Magisterii, Præsentaturæ; Officij vocem activam, vel curam Animarum habentis, gravissimæ culpæ trirremium, exilii à Provinciâ, torturæ, infamie Apostasie conspirantis, Capitis factionum, incorrigibilitatis, & aliarum similium, vel formidabiliorum, aut infamiam Personæ Conventus, Provincie, vel Religionis inducentium; Insuper in illis causis, in quibus tractatur de exclusionem, vel admissionem, validitate, vel invaliditate alicujus Magisterii, vel Præsentaturæ, in aliisque similibus, vel gravioribus; Tunc prædictus P. Provincialis non tanquam Visitator, nec sub ratione, & formalitate Visitationis (etsi actu in eâ fuerit) sed tanquam Judex (præsuppositis tamen in Jure præsupponendis) judicialiter, & compilato processu, servatisque omnibus, & singulis substantialibus judicii ordinariis, in earum substantiatione, cognitione, & determinatione omnino procedere teneatur; Ita ut Reum, seu Reos, prout de jure etiam ad sententiam citet; Eos in omnibus, & singulis suis legitimis defensionibus, excusationibus & exceptionibus etiam contra Judicem, vel Judices, Testem, vel Testes prout de jure audiat; Eis integram copiam processus, nomina Testium & consultum habere cum Advocatis, seu Jurisperitis, etiam secularibus, si petierint, terminoque sufficientes pro suis defensionibus concedat; Conjudices verbo, vel scripto informare nullatenus impediatur; Cæteraque hujusmodi etiam circa habilitatem, juramentum, examen, & repetitionem Testium pro integritate judicii, & legitimâ efformatione probationum de jure necessariâ, (quæ probationes, ut ad pœnam vel pœnas præcipuè ordinarias Reus condemnari, vel in eas, aut in aliquam earum incursum declarari possit, plenæ, claræ, & concludentes habentur esse) omnino observet, & ad sententiam sine plena cognitione causæ (prout ex parte suâ fuerit) nullo modo procedat, neque procedere possit: Appellationes insuper legitimas, etiam ex causa probabilis debito tempore interpositas, (exceptis tamen quibusdam casibus particularibus de jure, & prout de jure excipiendis) quoad utrumque effectum, scilicet suspensivum, & devolutivum, in quantum ad se atinuerit, admitat, easque sic admittere teneatur: Quam formam, modum & ordinem judicialiter procedendi, judicandi, etiam cî cæ appellationis admissionem, alium quemcumque Superiorem ordinarium, vel delegatum, nec non quocunque Tribunal, vel Definitorium, etiam Capituli Provincialis, respectivè observare teneri, decernimus & declaramus: Undè verba nostrarum Constitutionum 3. p. c. 12. §. 22. ibi: Appellationes à correctione Regulari, vel à præcepto sui Superioris penitus inhibemus, & à nostro Ordine relegamus &c. & illa 6. p. c. 23. §. 2. ibi: Impositæ tamen pœnæ, quocunque modo imponantur, à subditis humiliter acceptentur, postpositâ omni appellatione; nam à correctionibus non licet Fratribus nostris appellare: De correctionibus, vel præceptis extrajudicialiter, & ad penitentiam impositis, modumque legitime corrigendi, & præcipiendi non excedentibus intelligenda esse declaramus, & non aliter, neque alio modo: & si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane, nulliusque roboris, & momenti ipso facto, & absque aliâ declaratione.

XXV. Recusationes malitiosæ, calumniosæ,

De modo quo P. Provincialis in causis quibuscumque judicandis pœnæque imponendis etiam tempore Visitationis procedere debet.

De recusationibus

1679.

mittendis
& rejicien-
dis. & quo-
modo in
casu legiti-
mæ regula-
tionis pro-
cedendum

frivolæ, & frustratoriæ nullo modo admittantur, sed potius ita recusantes graviter, & prout de jure respectivè corrigantur & puniantur; Si tamen quicumque Superior tam intra, quam extrà terminum Visitationis judicialiter procedens, seu procedere intendens, legitime recusari, etiam ex causâ probabili contingat; Tunc hujusmodi recusatione admittâ, circa probationem causæ, vel causarum prædictæ recusationis, nec non circa alia ipsam recusationem, ejusque judicium concernentia, vel attentantia; Ac insuper in omnibus, & singulis aliis casibus in nostris Sacris Constitutionibus omis- sis, & in casibus dubiis pro eorum doctrinali intelligentiâ, seu interpretatione, in eo interim quod Reverendissimi Patris responsum legitime habeatur, prout de Jure Communi Canonico procedi, & ad illud respectivè recurri debere, volumus & declaramus: Verùm si Pater Præsidentis intra Definitorium Capituli Provincialis, vel P. Provincialis intra Definitoria Congregationis intermediae, vel Capituli privati, legitime coram eisdem Definitoriis recusari contigerit, Vicarios loco eorum nominare, vel substituere etiam sub motivo præsidendi minimè possint, sed in tali casu præsidencia Definitorii, quodcumque sit, Patri ex reliquis in ordine sedendi antiquiori pertineat, & tam in istis, quam in casu recusationis aliorum Conjudicum, dummodò tamen major pars Definitorii libera, & expedita maneat, nullus alius ad Definitorium loco recusati, vel recusantis vocetur, vel admittatur, sed plena jurisdictione, etiam quoad causam principalem in majori parte Conjudicum remanentium sit & permaneat, prout ita esse, & permanere volumus, & declaramus: Quod si major pars Definitorii, ut supra non manserit, ita ut in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae quinque, & in Definitorio Capituli privati tres ad minus Patres liberi, & expediti existant, Tunc pro prædictâ majori parte integrandâ, ad præscriptum Decreti sub numer. 9. supra positi inviolabiliter procedatur.

De Studi-
diorum
cursu pro
obtinendis
officiis ab-
solvendo,
de dimissio-
riis non
conceden-
dis & de
recipiendis
Apostatis.

XXVI. Nullus Religiosorum, qui à decem annis professionem in eadem Quiri Provinciâ emisserit, vel emittet in posterum, in Definitorem, Visitorem, Regentem, Secretarium, Doctrinarium, Concionatorem, Priorem, vel Vicarium Priorem etiam Indorum, vel prædii eligi possit, nisi per biennium integrum Artium, & per triennium Sacræ Theologiæ cursus compleverit. In Confessores verò eligi poterunt, dummodò in casibus conscientie sint sufficienter instructi: Si autem, qui ex aliis Provinciis à decem annis Quiritensi Provinciâ sint affiliati, vel affiliabuntur in posterum, Definitorio per instrumenta authentica constare faciant, qualiter prædictos Artium, & Sacræ Theologiæ cursus in Provinciâ à quibus sunt exaffiliati perfererint, alias sub pœnâ inhabilitatis ad recentia officia prædictos cursus in Provinciâ Quiri complevere teneantur: Et ad vitandam omnem irregularitatis suspensionem in sacris Ordinibus suscipiendis, præcipimus & mandamus R. P. Provinciali, seu Reçtori Provinciali, nec non quicumque Definitorio, etiam Capituli Provincialis ejusdem Provinciæ Quiritensis nunc, & pro tempore existentibus, sub pœnis privationis utriusque vocis per decennium, ut ad Canones Sacro-Sancti Concilii Tridentini, Religiosos alterius Provinciæ, etiam cum licentiâ suorum Provincialium ad istam Quiritensem divergentibus, nullo modo dimissorias ad Ordines sacros suscipiendos, etiam in eis initiati fuerint, de cætero concedant, cum hujusmodi dimissoria à propriis, & non ab alienis Provincialibus concedendâ sint; animarumque præterea saluti consulentes, ob immanem terræ, marisque distantiam

ab hac Romanâ Curia, benignè concedimus Provinciali, seu Reçtori Provinciali, & Definitoriis etiam Capituli privati prædictæ Provinciæ Quiritensis nunc, & pro tempore existentibus, ut Religiosos suos Apostatas, etiam si à multo tempore, ultra annum, à Conventu vel etiam à Provinciâ, immò & à Religione, non tamen à fide apostataverint, recipere possint; servatis tamen quoad cætera dispensationibus nostrarum Constitutionum 6. p. c. 14. de Apostatis recipiendis.

XXVII. Ut debitum studiorum præmium benè meritis tribuatur, præcipimus, quod in Lectorem Artium nullus de cætero assumatur, nisi prius per integrum biennium Artium ad minus, & per quadriennium Theologiæ Scholasticæ cursibus peractis, prævium rigorosum examen per oppositionem Lætionis 24. horarum coram P. Provinciali, Superiori Ordinario, Conventu, Magistris à Provincia acceptatis, studiorum Regente, Lætoribus tam actualibus, quam jubilatis, & studiorum Magistro subeat, ac argumentis satisfactis, à majori parte prædictorum Patrum per suffragia secreta approbatus fuerit. Inter approbatos verò, cæteris præstantior pro primo Artium cursu legendo deputetur: Quod si æquales in Doctrinâ censeantur; antiquior in studiis scholasticis, & data in iis æqualitate, antiquior in professione aliis præferatur: Ad Lætoratus itidem Theologicos inter Artium Lætores, ille primò assumatur, qui antiquior est in Læctione Scholastica, in qua si pares sint, qui prius Lætor fuerit institutus, & si æquales in institutione inveniantur, ordo servetur professionis. Ei verò qui inverso ordine à Nobis præscripto ad Lætoris munus assumptus fuerit, annus, vel anni, quibus Artes, vel Theologiam, aut utramque Facultatem elegerit, seu docuerit, nullo modo computentur, neque computari possunt pro Magisterio obtinendo.

XXVIII. Patres Definitorii etiam Capituli Provincialis sub pœnâ privationis vocis activæ, & passivæ per quinquennium ipso facto incurrendâ, nullo modo ad Magisterium etiam pro primo loco vacaturo postulent, vel exponant eum, qui per octo annos Artium, & Theologiæ cursus docendo & legendo prius non compleverit; neque eundem, vel alium quemcumque pro Magistro etiam ad primum locum vacaturum acceptent, seu recipiant, nisi prædicto tempore Lætoris completo, litteras originales Magisterii, coram Definitorio exhibuerit: Ad Præsentaturâ verò gradum sub eadem pœnâ privationis neminem postulent, aut pro Præsentato acceptent, seu recipiant, nisi cursibus Philosophicis, & Theologicis, ut supra in Decreto sub n. 26. expletis, sex ferias Quadragesimales, ut vocant, & alias particulares sermones prædicaverit, litterasque Præsentaturæ ante acceptationem, seu receptionem coram Definitorio exhibuerit originales; itritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

XXIX. Ad extirpanda radicibus litium germina, quæ circa præcedentias oriri solent, declaramus, quod Exprovincialis, & Expræsidentis toto illo quadriennio, quo immediatè absoluti sunt suis ab officiis respectivè, cum adhuc de corpore Definitorii sint, eundem locum ubique, & Præcedentiam habeant, quam habent intra Definitorium Congregationis intermediae, ex declaratione Reverendissimi Lanfrancoii pro eadem Provinciâ emanatâ, in eaque usu receptâ; declarantes tamen, quòd transacto quadriennio in quo sunt immediatè absoluti ad præcedentiam, & locum ex constit. 3. p. c. 21., eisdem alias debitum reduci teneantur; prout sub pœnis privationis vocis, & loci per quinquennium ipso facto incurrendis præcipimus omnibus & singulis

De condi-
tionibus
obtinendi
Lætoratus
Artium &
Theologiæ

De condi-
tionibus
obtinendi
Gradus
Magisterii
& Præsen-
taturæ.

De Or-
dine præ-
cedentiarum.

hujus-

hujusmodi Patribus, etiam iis, qui ante hujus Decreti emanationem ita absoluti extiterunt, ut cum effectu reducantur; non obstantibus quibuscunque in contrarium, cum juxta Constitutionem Urbani Octavi de die 15. Januarii 1630. incipientem. In Sedem Principis Apostolorum prædictam cap. 21. 3. p. earundem Constitutionum de ordine præcedentiarum inviolabiliter observari debeat: Quoad Magistros insuper à Provincia acceptatos, in Choro, Refectorio, Capitulo, Processionibus, &c. Ille, qui per tres menses ad minus prius graduatus fuerit, insigniaque Magistralia susceperit, ad præscriptum prædictarum Constitutionum prædicta 3. p. c. 21. & 5. p. c. 6. cæteros, etiam si Exprovinciales sint, præcedat, præcedereque debeat, nullo habito respectu ad qualitatem Exprovincialatus, utpotè ex prædicto cap. 21. 3. p. Constit. Magisterio inferiorem: Inter Præsentatos autem ille alios in eisdem locis præcedat, præcedereque debeat, qui per duos menses ad minus gradu Præsentaturæ, etiam ante hujusmodi Decreti emanationem prius graduatus fuerit, sive sint cum voto sive non sint; cum juxta prædictas Constitutiones eadem 3. p. eodemque cap. 21. prædicti Præsentati, & Supprior Conventus vota non habentes, ante locum Patris Provincialis, qui habet votum, locum & præcedentiam teneant: Qui verò ab aliis Provinciis exiliati, Provincie Quirensi affiliantur, eundem in hac locum, & præcedentiam retineant, quam in Provincia à qua exiliantur habebant: ita ut Magister inter Magistros, Præsentatusque inter Præsentatos &c. præcedentiam retineant sibi debitam, dummodò tamen de sua legitimâ promotione ad gradum Magisterii, vel Præsentaturæ, sive de antiquitate suæ professionis, si graduati non fuerint Definitorio saltem privato Provincie Quirensis, cui affiliantur, legitimè constare faciant: & ut hæc, quæ circa præcedentiam decreta sunt, exactius in ista Provincia ferventur, declaramus, quòd P. Provinciales actuales, seu Rectores Provinciales, sive per se ipsos, sive una cum Definitorio, etiam Capituli Provincialis, nullo modo possunt, neque potuerunt alicui Religioso concedere præcedentiam, sicut nec etiam privilegia personalia, quibus vel à Choro, vel à mensa communi, vel à communibus observantiis eximantur, sed observandam esse omnino Constitutionem Apostolicam Urbani Octavi die 30. Julii 1626. incipientem. Pastoralis, quâ hujusmodi Privilegia, & exceptiones prohibita, & interdicta sunt, de cæteroque absque licentiâ Sedis Apostolicæ concedi non possunt, irritum insuper, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes & declarantes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

XXX. Volumus & declaramus, à Reverendissimorum Patrum Decretis, Statutis, Ordinationibus & Declarationibus semel ab ista nostra Quirensi Provincia receptis, nec non ad ejus postulationem provisus, seu pro ipsius reformatione, & bono regimine cum cognitione causæ emanatis, supplicationem, vel appellationem, etiam ex legitimâ causâ interpositam, eorum executionem nullo modo retardare, vel impedire posse; Sed in eo interim, quoad responsum, vel determinatio Superioris legitimè habeatur, omnia & singula inviolabiliter observari, ac omnino exequi debere; irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit: Experienciâ insuper edocti, quod multa irrepserint dubia, & lites ex Decretis Reverendissimorum Vicecomitis & Lanfrancii Prædecessorum Nostrorum, quibus præcipitur, ut electio Patris Provincialis sub poenâ nullitatis celebretur juxta Constitutiones, quòdque, qui semel electus fuerit in Provinciale, altera vice eligi non possit sub poenâ ejusdem nullitatis; idè prædicta duo Decreta moderanda, & ad terminos nostrarum Constitutionum redu-

enda statuimus, prout tenore præsentium ea moderamur & reducimus; Declarantes, quòd qui conformiter ad Sacros Canones & Nostras Constitutiones habilis, & idoneus ad Provincialatum repertus fuerit, pro validâ, & legitimâ habeatur eodem prorsus modo, ac si prædicta duo Decreta emanata non fuissent.

XXXI. Confirmantes, & quatenus opus sit innovantes Declarationes Reverendiss. P. P. etiam pro eadem nostra Provincia Quirensi emanatis declaramus, Rectorem Provinciale legitime electum, seu institutum, qui cum effectu Provinciam per aliquod tempus gubernaverit, & locum, & vocem activam, & alia quæcunque jura, prærogativa & privilegia Provincialis absoluti, tum intra tum extra Definitorium deinceps semper habere; Et tandem cum Nostræ Constitutiones 3. p. c. 9. disponant, ut in casu quo Definitorium privatum post Congregationem intermediam Prioris officio privet, nova electio, vel provisio Prioris Vicarii, quæ tunc fieri debet, ad prædictum Definitorium privatum pertineat; Hujusmodi dispositionem, etiam de declaratione privationis, nec non in casu quo alius quicumque Officialis vocem activam habens, officio privetur, vel privatus declaretur, intelligendam esse declaramus, irritum, ac inane, ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

XXXII. Ut autem præsentia hæc nostra Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes, quæ cum cognitione causæ pro reformatione, & bono regimine istius Nostræ Provincie Quirensis à Nobis maturâ consideratione edita fuere, firmiter consistant, stricte præcipimus R. P. Provinciali, seu Rectori Provincie, omnibusque & singulis R. P. P. Definitorii prædictæ Provincie nunc, & pro tempore existentibus in meritum salutaris obedientie, sub rebellionis Nostræ, privationis vocis activæ & passivæ per decennium, graduum & officiorum, nec non excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam hac una pro trina Canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inviti ferimus, ipso facto incurrendis poenis, quatenus omni, & quâcunque supplicatione & appellatione remota, omnia & singula Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes in his litteris contenta in Capitulo etiam privato integrè recipiant, ad litteram inviolabiliter observent; ab omnibus & singulis respectivè sic observari faciant, & ullâ sine morâ executioni mandent: Non obstantibus quibuscunque Provincie Definitoribus, actis, Statutis & consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non Nostris, vel Prædecessorum Nostrorum Decretis, Statutis, Ordinationibus & Declarationibus in contrarium præmissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, innovatis, concessis & emanatis; quæ omnia, & singula in quantum præsentibus adversantur; revocamus & annullamus, & revocata & annullata esse volumus & declaramus, sicuti etiam aliâ à Nobis Decreta die 20. mensis Novembris 1675. pro istâ Provincia Quirensi edita, tenore præsentium revocamus & annullamus, revocataque & annullata esse volumus & declaramus, mandantes, ut ad nos cum effectu transmittantur: Præcipimus insuper eidem Patri Provinciali, seu Rectori Provincie, nunc & pro tempore existenti sub eisdem poenis, ut perpetuis futuris temporibus ante recognitionem P. Præsidentis in Capitulis Provincialibus, & in Congregationibus intermediis respectivè coram omnibus Patribus, ac Fratribus horâ quæ opportuna ei videatur, hæc nostra Decreta, Ordinationes, Statuta & Declarationes perlegi faciat, ac in libro Provincie transcribi, & eorum authenticam copiam ad omnes Conventus dictæ Provincie transmitti curet, quorum Prioribus, seu Superioribus Localibus nunc, & pro tempore existentibus etiam præcipimus sub poenâ ful-

De juri-
bus Provin-
cialis, & de
Officioru
privacione
ad Defini-
torium
privatum
pertinente

De præ-
sentibus
Decretis
executioni
mandandis
annuatim
publicandis
& contrariis an-
nullandis.

De tol-
lendis sup-
plicationibus
& appella-
tionibus contra
Patrum
Constitu-
tiones &
de Provin-
cialium re-
elictione.

penfionis ab officio per sex menses ipfo facto incurrendâ, ut eadem fingulis annis infra Quadragefimale tempus, publicè coram omnibus legi faciant. Hæc autem noſtra Decreta, Ordinationes, Statuta & Declarationes, quæ femper firma, valida & efficacia eſſe decernimus & declaramus, de ſubreptionis, vel obreptionis, vel alio quovis defectu, etiam intentionis Noſtræ, nemo Nobis inferior ſub iisdem penis, & excommunicatione notare audeat; Sicque in præmiſſis per quoscuſque prædictæ Provinciæ, & Ordinis Noſtri Judices & Superiores ordinarios, & delegatos judicari & definiri debere, ac irritum, & inane ipſo facto, & abſque aliâ declaratione decernentes & declarantes, ſi ſecus ſuper his à quoquam Nobis inferiori quâvis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, fieri vel attentari contigerit.

Apoſtolicum robur prædictis Decretis & Statutis adjicitur.

§. 2. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes, aliæque præmiſſa bono regimini, ac reformationi & tranquillitati prædictæ Provinciæ valde utilia ſint, firmiora verò exiſtunt ea, quibus Apoſtolicæ Sedis accedit autoritas; Nobis propterea dictus Franciſcus Procurator, etiam nomine dictæ Provinciæ humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & infra indulgere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ipſum Franciſcum Procuratorem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & penis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innotatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Episcoporum & Regularium præpoſitorum conſilio, omnia & ſingula Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes, ac articulos & capitula præinſerta, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque inſolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, etiam ſubſtantiales, ſi qui deſuper quomodolibet intervennerint, ſupplemus; ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Decretis roborans.

§. 3. Decernentes ipſas præſentes Litteras ſemper firmas & validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniffimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inſolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoscuſque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolicæ Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Claufula ſublata & Decretum irritans.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obſtante præmiſſis ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non prædictorum Ordinis & Provinciæ, aliſive quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus, & privilegiis quoque, indultis & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliâ in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcuſque.

Tranſumptoriis ſides.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,

& ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel offenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 17. Martii. 1678. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

J. G. SLUSIUS.

D. 17. Martii 1679. P. A. tertio.

Confirmatio Indulgentiarum Sanctiſſimi Roſarii.

VIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **N**uper pro parte Dilecti Filii Antonii de Monroy Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis expoſitum fuit, quòd de hujus Sanctæ Sedis mandato conſeſtum, & à Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & ſacris Reliquiis præpoſitâ reviſum, & approbatum fuit Summarium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum ſpiritualium Confraternitatibus ſub titulo Sanctiſſimi Roſarii erectis & inſtitutis, auctoritate Apoſtolicâ conceſſarum, tenoris qui ſequitur, videlicet:

Expoſitio Sanctiſſimi Roſarii ſuæ facta.

SUMMARIUM.

Indulgentiarum & gratiarum, Confratribus & Conſorioribus Sanctiſſimi Roſarii tam in vitâ, quàm in morte conceſſarum.

CAPUT I.

De confirmatione & extenſione Indulgentiarum Sanctiſſimi Roſarii.

Primò. Sciendum à multis Summis Pontificibus reſpectivè fuiſſe confirmatas Indulgentias & gratias, ab eorum Antecceſſoribus benignè elargitas, Confratribus & Conſorioribus Sanctiſſimi Roſarii, nimirum à Leone X. in Bullâ, quæ incipit: *Paſtoris æterni*, die 6. Octobris 1520. à Clemente Septimo in Brevi, *Erſtemporalium*, die 8. Maii 1534. à Julio Tertio in Brevi, *Sincera devotionis*, 24. Auguſti 1551. à Pio Quinto in Brevi, *Inter deſiderabilia*, die 28. Junii 1569. ac in Brevi, *Conſueverunt*, die 17. Septembris 1569. Deinde cum omni amplitudine confirmatas, & innovatas à Sixto Quinto in Brevi, quod incipit: *Dum ineffabilia*, 30. Januarii 1586. Denique etiam Paulus Quintus in Brevi: *Cum olim*, die 20. Septembris 1608. revocato Brevi ſuo revocatorio Indulgentiarum antiquarum Sanctiſſimi Roſarii in executionem Conſtitutionis Clementis Octavi incipientis: *Quocumque*, & illud ad terminos juris reduxit, & priſtino ſtatu reſtituit eaſdem Indulgentias à Summis Pontificibus ſuis Prædeceſſoribus conceſſas Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii Canonice inſtitutis, ubique locorum exiſtentibus.

Secundò. Omnes Indulgentias ſpecialiter, vel generaliter, aut quocumque modo uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii, vel etiam Confratribus, & Conſorioribus alicujus Confraternitatis in aliquâ particulari Eccleſiâ erectæ impertitas, communes eſſe omnibus Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii, Confratribus, & Conſorioribus omnium dictarum Confraternitatum univerſi Orbis. Hoc indultit Gregorius XIII. in Brevi incipiente, *Paſtoris æterni*, 5. Maii 1581. pro Confraternitatibus Canonice erectis. Et Sixtus V. in præfato Brevi: *Dum ineffabilia*, omnia pri-

vilegia.